


Bibliothèque Mazarine



Colour Chart #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta


White


3/Color


Black


DANES
PICTA
COM























Calli...
Rou...
M...
P...
C...
G...
S...
P...
S...
C...
P...
P...
P...
P...
P...
P...
P...
P...
P...

Table des matieres contenues en ce
Recueil.

Orationes de Ruptillanâ expeditione. 1629.

Regia Navarra.

Censura Symboli Apostolorum. &c.

Capitulus de demonstrâe magnitudinis in
brevi.

Petrus Valens Du. Card. Eboracien



Panegyris Triumphalis a Sano Frey. 1629

Epistola Agotomag. Archiep. ad Urban. 8. 1629

Compendium regularum Linguae Latinae ad usum
Collegii Curonensis. 1629

Oratio ad Ill. Epum Eboracensem 1629.

Urbani 8ⁱ Constitutio Super Assiduitate Episcopum 1634

Vota regnantis Ludovico 13^o

De Rege ac Rege Oratio 1631.

Cardinalium, Archiep. Episcop. de Anonymis quibusdam
de famosis Libellis Sententia. 1629

Decretum Auditorum Britannicorum

Mystria politica. Ford, Epistolae avarae virorum
Illustrum. 1625

Harduillbrj actio contra Scholasticos Claramontani
Collegij 1612.

Nicolao Rodulphio Oratio gratulatoria.

In Apellam. Dira

ad Illustr^o. Nicolaum Le Bay. Gratulatio

Illustriss^o. Cardinalis Rieglij^o. Elogium. 1629

Clariss^o viro Domino nicolai Le Masle. Oratio

ad Additionem Lupella^o oratio 1629

Sorbona iustaurata. 1629

Vera Philosophia iunocentia est

Resolutiones magistralis questionum quodlibetarum.
mensis Decembrij. 1629.

Decretum sacrae Facultatis Theolog. in Frankfurtum
Aupif. 1637.

Faciens francus. 1626.

Altera secretissima Instructio Gallo Britanno Latina
1626.

Censura sacra facultatis Theologicae Paris. in librum
qui inscribitur De La Ste. Virginité. 1638

Catalogus Universitatis pro Nundinis Francofurtensibus
1620.

Bernardi Saxovici Ruginariensis Epitaphium

La Reception du Roy d'Angleterre et d'Escoce.

Catalogus Universitatis pro Nundinis Francofurtensibus
1620.

Catalogus Librorum mystico-pelagicorum qui
autumnalibus nundinis Francofurtensibus. 1626. 5
Luce prodibunt

Depravationes Apocryphae in Latina Versione
duorum Librorum Anglicorum. 1627.

Petrus Mola.

Censura propositionum quarundam ex Sibonia de Letari
1627.

10332. D

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



15
M Y S T E R I A
P O L I T I C A,

Hoc est:

Epistolæ arcanae virorum Illustrium
sibi mutuò confiden-
tium,

Lectū & consideratione dignæ.



Juxta copiam Neopoli impressam.

ANTVERPIÆ,

Apud Henricum Aertssium, 1625.

MYSTERIA POLITICA,

HOC EST:

Epistolæ arcanae virorum Illustrium sibi mutuò
confidentium.

EPISTOLA I.

Excellentissimo Domino, Marco Bagradino.

Venetiæ.



XCELLENTISSIME Domine, Conventum est, ut
Latinè scribam, quo Hamiltonus noster possit le-
gere, ecce pactis sto. De pannis Damascenis & re-
bus Alibassæ ante dies quatuor scripsi Italicè.
Summâ contentione causam egère legatus no-
ster, & Batavus, accessit Britanus. Grata res fuit Ottomanidæ;
sed ne nunc bellum Austriis faciat, Persa obstat, & seditiones:
Fortunam irritare veretur: data tamen spes belli: certè metu
belli anxios reddet. Excursionibus etiam eos atteret, quæ per
Larvam pacis non impediuntur. Parùm nocere contentus, si
multùm non potest; lassabit si dejicere non licebit.

Batavorum fuit importuna flagitatio, quæ res in vado posi-
tas in medios denuò fluctus abripuit. Et si vires Turcæ suppe-
terent, in magnum nos discrimen cõjiceret: nos primùm igno-
ratione factū putavimus, deinde malitiâ, fastu, perfidiâ ad per-
niciosa Reipublicæ consilia descendisse legatum patuit.

Legati nostri consilium fuit, ut Turcus terrorem belli per
suos, vel Gaborem, Hungariæ superiori, Moraviæ, Silesiæ, Bo-
hemix inferret. Rationem dederat proceribus approbatam:

Mul-

Multum in locis illis esse prædarum: eam cladem maximè sentire Austrios penù, & horreo capto: inde proclivem esse in ditissimâ Germaniâ excursum. Frustra carpi extrema, cū levi ictu possint rumpi vitalia: nationem discordiâ internâ ancipitem, trepidamque, nec consiliis quidem belli, nedum armis idoneâ. Hoc quàm nostris rebus conducatur, perspicuum est: Sic enim belli rabies longè à nostris finibus arcebitur, nec Austriarum provinciarum diluvium nostris se agris superfunder, audiemus, non spectabimus domus inimicæ damna. Infelix enim ager est, qui pugnantem spectat: eo enim aut contagio mali, aut fames militem trahit. Ab hac sententiâ Batavus purpuratos magnâ varficie abduxit, nec mirum; diversi enim sunt Reipublicæ, & Batavorum fines, idèd alia quoque, ad metam cuique suam, itinera. Nos quidem nobis, sibi illi consultum cupiunt: ita ominor amicitiam fore haud diuturnam. Legatus Batavus alio nobis, alio Bassis ore loquitur. Studiosè Bassis persuadere conatus est, desererent viles regionum vastatarum prædas, rem nauticam exercerent, litora Europæ classibus pulsarent; maris imperium omnia posse. Exemplo suorum id demonstrabat. Batavos in singulos annos pene obsessos domi lustrare maria omnia, utriusq; Indiæ sibi foedera parare, opes reducere. Hispanos in magnos metus redigere. Hoc posse ditiunculam unam, quæ Monarchiæ Turcicæ ducentesima pars non sit: quid igitur non polleat Otomanna potentia, si rem navalem cordi sibi esse velit? Modū deinde belli navalis præscribit, socias naves Hollandiæ pollicetur, auditur magno assensu. Cumque nostri difficultates aliquas objecissent, apud Vezirē nos clam traduxit. Venetos Senatores aureos esse arietes, nummos parare, & dare, rei bellicæ esse ignaros, periculorum fugientes. Bellum cauponari, singulari, sed stolido fastu sibi mare desponsare: nolle rivalem Ottomanidem, omni ope ejus navigationes impedire. Creditum illi est; nam ut ilia Turcis, formidabilia Venetis suadebat. Argutè respondit Misai Bassa; cedit nullus quâ natat Lucius. Monen-

dos de tanta re Hollandos censeo, suum ut Legatum intrepēt, qui inconsulta serenissima republica res noxias molitur, an id eò nostrā pecuniā illos sublevamus, ut nos deprimant? Quod si illis suavoribus tyrannus obsequatur, mare superum, atq; inferum Turcicæ classes, & piraticæ Triremes, imo sinum nostrum obsidebunt: ductores erunt & magistri Belgæ, negotiationes quibus Reipub. majestas, imò vita continetur, intercident. In eam molem civitas nostra crevit, ut non nisi liberis totius Asiæ negotiationibus, magnitudinem suam sustinere possit. His sublatis, nervus, annona, anima ipsa deficiet. Præternaves Batavo-Turcicas, eunt principū Itatorum classes; nobis interim omnia loca maritima majoribus muniēda præsiidiis, & instruenda classis. Nec amicitia Turcarum proderit, multa petent classarij, exscensionem facient, æstiva & hyberna nostris in portibus habebunt. Si postulata dabimus, ærarium exhauriemus, si negabimus, una repulsa inimicos faciemus, & gratiam præteritorum evertemus. Nam repulsa irritatus miles prædandi licentiam sibi indulget. Agens Gaboris discessurus nihil impetravit, grandia jactanti nemo credit. Hæc communicabis; quibus videbitur. Anno 1624. Cal. Jun.

Tuus I. M. Constantinopol.

E P I S T O L A II.

Nobili, clarissimoque Domino N. S. Landsteinio, I. V. Doctori
Sereniss. &c. Prosecretario.

Hagam Comit.

IN Cœna nostri P. T. ortâ supervino concertatione, dissimulare non potui, quin matrimonium cum Papistica improbare. Tompsonum ea re offensum notavi, frustra iram te gente vultu. Rationes tamen meas improbare non potuit: eas heri indiculo notatas misi. Hódie mihi retulit crassipes noster, te non modo nuptias probare, sed pene agere paranymphum. Sed malo credere,

P O L I T I C A .

dere, illum mentiri, quàm te ita sentire: cum scias nuptias in religione dispares raro felices esse, quas non conciliat pietas. Cur Rex Britannia dominam potiùs habeat, quàm uxorem? Princeps oculis, non legationibus conjugem quæret. Vbi vivacem senem rebus dimoverit, consortem sibi conciliabit, in quâ non sola sit majestas, amor non spectat genus. Verùm hæc scribo, ut certi aliquid de tua sententia cognoscam. Mitto acta Francica. Vale. Londini. 1624. Idibus Iuliis,

Tuus frater G.S.L.

E P I S T O L A III.

Reverendo & eximio viro Georgio Sonnero Lobienfi. SS. Theologiae Doctori D. & Amico.

SI nominis tui, quod in cautionem literarum adoptasti, ritè memineris, eadem quoque opera promissi tui recordaberis. De causa nuptiarum, exhorruisse scito me, & Eubulum simul M.B. Serenissimi regis Achaten, cum audiremus rem agi negligentius. In illis tota spes regis est, sine illa pronuba non ibitur Heidelbergam, nedùm Pragam: sed devorandi erunt pisces Maffia Batavica complures, & quod omnibus cruciamentis atrocius est, ferendus fastus potentissimorum Statuum, quibus inter multa mala hoc unū boni Hispanus adfert, ut se adhuc homines esse suspicentur. Si igitur Patriam, si Bohemiam amamus, si imperium speramus, omnes nervi intendendi sunt, ut juvenē Britannum in Francicas nuptias conjiciamus, eas si Iunone nō probante, confectas ille postea judicabit, facile remedium inveniet. Facile dissuitur, quod malè consutum est. Nulli gēri tam facile rata sunt irritaque nuptiæ, quàm regibus Britannis. Interim hoc iter nobis est ad pristinas opes & honores. Rationes tuas solvit, & suas mittit M.B. piritū gravi pressus. Mihi quid fratres è Gallia scribant, recensere fas sit. Per illum thalamum Britanno aditum parari in hortum liliorum, ne in perpetuum

tituli ludibrio ostendat, quid cupiat, & non possit. Nam quid nuptias consequatur vide. Summa nimirum inter Anglos, & Francos, familiaritas, illos inquam qui de religione sunt, com- meabunt utrinque sine suspitione negociatores, nobiles, prin- cipes, prædicatores, consistoriales; per sororem, & affinem fra- tri conciliabuntur. Si Liliger contra fratres aliquid decreverit intercedet gener, socer, fortè & soror, leniùs in Angliâ Papistæ habebuntur, ut fratres in Gallia reflorescant, quos consiliis, o- pibus, negociandi commoditate Anglus adjuvabit, per eos & Politicos Gallia cuncta Liligeri consilia maturè cognoscemus. Orto, quod est proclive, in Gallia tumultu, mox regi jure co- gnationis assistemus, clã turbatores fovebimus, si fratres ex- cusso jugo in libertatem se asserere velint, eos in protectione recipiet Anglus. Ita facilè quartam Gallia partem occupabi- mus, adjungent se Politici, alijque quacunque re offensi, vel spe allecti, in hanc genius proderit nationis novitate gaudentis, veterum fastidiosæ. Regem sic destitutum facilè opprimemus, aderit cum juventute Germanica Palatinus, nec in civilibus bellis sine Germanis & Helvetis se Rex Gallia tutari potest, nos utraque auxilia præoccupabimus. Crede mihi si rem per- fidios agemus, intra sexennium fratres in Gallia liberierunt, & subditi Britanno, Carolus Princeps Wallia jam pene in pro- cinctu erat, ut Ecclesias tuendas susciperet, mors tantum boni distulit, gloria illa fratrem manet; nec fallere eventus potest, parati omnibus ritè dispositis imparatum aggrediemur, vides ut nuptiæ sunt regnorum captatrices, & pro religione nostra pugnâtes. Tu vale. Salutant te A.M. & H.R. Veneti in Hollâ- dos malevoli sunt, dant illis, qui pugnare, non qui vincere que- ant. Lanistæ magis, quàm amici. Hi tamen, illos ut Deos hono- rant, & ut dæmones, diris devovent. Hagæ Comitum Banauli- corum, Anno 1624. nono Calendas Augusti.

Servus tuus, quem nosti N.S.L.

POLITICA.
EPISTOLA IV.

7

Magnifico D. Joanni Bernardo Seidlerero.

Ex itinere.

TERTIO die cū essem in diversorio Leonino commodū
allatæ sunt mihi litteræ tuæ. Ad quas breviter, dum equi
soleantur, rescribo. Totum operis apparatus confabulationi
nostræ reservo. Tres porrò quæstiones proponis. Quid volue-
rit? Quid dixerit? Quid responsi acceperit Legatus, seu potius
secretissimus secretarius Venerus? Sic ad omnia habeto. Voluit
explorare, quid animi, quid virum, quid spei esset nobis ad ire-
randum bellum. Hoc etiam voluit, Rempublicam suam dilau-
dari. Ad alterum, Dixit nos amari à serenissimâ Republicâ: of-
ficia derulit. & quod est de essentiâ boni legati, mentitus est.
Ad bellum nos hortatus est. Huic addo quod non quæstisti, quid
fecerit, Tubingæ ægrotavit, convaluit, abiit. Ad tertium, Rem-
publicam laudavimus, gratias egimus, vicissim officia obtuli-
mus, perpotavimus, ægrum visimus, verba verbis reddita sunt,
& quod honestissimū est, mentiendi genus, mendaciis ejus cre-
dere nos simulavimus. Iocari me putas? seriò nugari mihi mens
est, & ne dubites Rein-falerno incalui. Quid tu crispas nares?
madidus istâ lege & ride. Nihil ne aliud? imò: Durlacensis gau-
dere visus est. Wirtembergicus contempsit. Anspacensis irrisit.
Civitarum simplex insinuatio, nihil contra Cæsarem moturas:
deesse nervum, pœnitere belli, se primas peri. Hæc omnia tantâ
arte dicta sunt, ut stolo ille se aliquid egisse crediderit, & pru-
dentiam etiam suam magis, quàm antè miratus sit. Verùm vul-
pecula illa pallidula Belgicis agitata versutiis, nos abhorre-
re à bello intellexit, nisi quispiam alio in loco, sine nostro sumptu
belligerare velit pro nobis. De Gabore & Turcâ timidè dixit;
non ignarus id nostris displicere, famulus ejus omnia apertius.
Meus compater A. S. M. urbis suæ Nestor graviter in senatu
contra eos dixit. Apud Principem disertè negavit eos audien-
dos:

NB.
N.T.A.

dos: summæ eos prudentiæ putare non dicere quid sentiant. Scire nos, quid in Senatu de nobis dictum actumq; sit, quid Bagradinus, quid Reinerus. Quid Sebastianus Venerius & Delphinus senserint, quid clamatum, quid reclamatum sit. Veneratorum aurea esse verba, rem vitream. Gemmas pollicitos, dare crystallum. Amicitiam esse fragiliorem vitro. Id nupero adeo patuisse bello: cum omnium rerum summa spes esset, cum Unio florentissima rogaret, cum Italicus Princeps in causam venisset, nec precibus adduci potuerunt, ut vel nos, vel Sabaudum sufficienti pecuniâ iuarent, aut Ferdinandi ditiones invadendo vires ejus à nobis avocarét. Cum verò deinde Bohemos victos, & nos in sanguine natantes viderent, etiâ duriores effecti sunt; perditum enim putabant, si quid darent perituris. At Hollandis nôrunt dare multa centena millia, Betlemum inaurare, ut Germaniam invadat, Bassis munera dare ut bellû cum Cæsare suadeant, in nos eorum benignitas clausa est. Cur igitur nunc adeo benevoli sunt in victos, quietosq; sollicitant, qui florentibus, & bellum deinde reparantibus adesse noluerunt? Suo id bono faciunt. Eo tempore Cæsarem non timebant, tot hostibus districtum, utramque Austriam Orientalem, & Occidentalem contemnebant, nunc verus eorum timor, qui eos bellare vetat, nos ad arma vocatum venit. Tumultu misceri Germaniam cupiunt, parum solliciti an nos pereamus, modò Cæsarem debilitent bella domestica. Vtriusq; partis interitum suam interpretantur securitatem: si nos in magnam potentiam victoria efferret, Cæsari nobis reprimendis auxilia ferrent. Nemini amici sunt nisi sibi, supplices tamen tolerare solêt. Magna capita mutuo collisu dejici cupiunt, ut ipsi soli emineant, laudant papperû Tarquinianorum stratagema. Olim cum in Armenia regiâ suam haberet, infirma sed cata vulpium natio, vicinorum potentia mirum in modum angebatur: nam à Septentrione habitabat ursus, à Meridie leo: post multas tandè de regni sui securitate deliberationes visum est, non posse arte, opibusq; vulpium tantam

tantâ potentiâ subverti, inter se reges illos esse committendos. Missa legatione persuadent urso posse Leonem, ut qui æger sit, & longâ febrî emaciatus facile opprimi, tum ursum, vulpes, & omne genus animantium diuturnâ tyrannide liberatum, longævâ in pace victurum. Vrsus spe imperij Leonem aggressus inopinato assultu, fatigavit, & valido pressu læsit: Tum vulpes ex occulto pugnæ speculatrix moriturum Leonem existimans, acerbè eum insectabatur, verùm ille dum vim ira suscitât, alterum urso oculum exsculpit unguibus, graviterque vulneravit, ad eoque, nisi fuga salutem quæsisset, occidione occidisset: interim pacem inter ursum & Leonem initâ iterum dolebat vulpes, utriusque feræ iram verita; identidemque ursum ad redintegrandum bellum incitabat. Cui ursus: Tibi enim expedit alterum etiam oculum mihi erui aut Leonem mori. Planè Senatores illi, Cæsarem semisaurum, nos elumbes esse volunt, ut utroque habeant obnoxios. Ramenta quædam de suo interdum thesauro porriciunt, ut noster ille Adiposus, cum ad sanguinem usque concurrere vellet gladiatores. Orbis affectant imperiû, eum quia valentem subigere non valent, principum collisum quati, & luxari desiderant. Victoriâ Cæsari sunt gratulati, nos rebellionis damnârunt. Turcam in nos concitant, Gaborem, & Bassas pecuniâ sollicitant. Olim Antonius Grimanus Venetorum Dux ista detestatus est. Et nuper insigni prudentiâ Senator, (Palchalem Cygoniam nominabat noster) apud Gaborem confidens, contestatus est totum collegium, Actiones Senatus Turcam vocâti, etiam infidelibus principibus detestabiles esse. Quod verò in Cæsaris non nostras provincias pestem illam inducere se profitentur, rerum se ignaros ostendunt, aut nos irrident. Quasi Turcas, Tartaros, Haidones inanitate Moraviæ, Bohemiæque contentos fore credibile sit, nec penetraturos ad Alpes Germaniæ. Non potest barbarorum illa illuvies magis fisti quàm aquarum inundationes. Spectabunt ista Veneti, ut olim Constantinopolitanorum, Rhodiorum, Cypriorum, per-

B

euntium

euntium irrisores fuere, superbo sarcasmo exprobrantes, quod Venetis se non dedidissent. Non consueſſe se nisi sua tueri. Hoc senex ille. Cætera referet B. L. VV. quem tibi commendo. Basilæ 1. die Augusti, Anno 1624.

Tui studiosissimus VVilh. D. à S.

Post scriptum.

Hic fama est tres in Franciâ exercitus pro nobis scriptos, persuadere id mihi conantur. Sed non ego credulus illis.

E P I S T O L A V.

*Illustriac Magnifico Domino Ioachimo Volmaro
à Kinsberg.*

Hagam Comitum

HAGÆte hyematurum scripsit etiam Cancellarius, nisi infectionis metu locum mutare contingeret. Quæ de rege scripsisti, cogitationes sunt: Expositio Apocalyptica somnia sunt vigilantis. Ludibrio sunt ista faceris, & offendunt. Itane rex occupatâ totâ Germaniâ Italianam invadet? & hoc dixit Spiritus Sanctus? Scalmum nondum habemus, & navem factam nobis arbitramur: Talis erat Siracusius ille, qui naves omnes portum subeuntes suas putabat. Solatium est miserorum per imaginationem frui bonis absentibus. Nec malè Epicurus recordatione præteritarum voluptatum sapientem fore in eculo beatum commentus est, si regiar cogitationes istæ laudantur. Sed quid philosophamur? fixum est, cunctis perditis cupiditates non deserere miseros, sed accendi. Nostra ferè veteri in statu versantur. Serenissimus princeps constanter Venetis irascitur; profiteri odia cogitabat, sed meliori usus consilio pressit, obsequia solito artificio detulit, ne verò despectui illis esset, commentus est magnam sibi à Turca fidem haberi, magna committi, magna se facturum contra Cæsarem, varia in loca literas misit, spe agentem Venetum mensæ adhibitum implevit. Hâc catapultâ

Vene-

Venetos loculos itoppugnatum. Causæ irarum, præter communia quæ tu nostri 1. Quod bello priore malignè iuverint, cum magnam spem fecissent. 2. Quòd in senatu de illo asperè locuti sint. 3. Quòd Turcæ illum suspectum reddiderint, atque in periculum cõjecerint, Bassam Budensem ab eo alienârint. 4. Quòd se invito pacem cum Ferdinando inierint, nec minus tamè ipsū ad bellum incitârint. 5. Huc etiam spectat, non datus ab illis Ungariæ titulus, Ungari abalienati. Nam Ungaros Venetorū indicio comperisse putant, quod Turcarum & Tartarorum auxilio ipsos in servitutem redigere cõstituerit, nec more Austriaco regnare precario dignum suâ maiestatem existimârint, aut pædagogum colere Palatinum. 6. Magis accendit iram inconsulta veritas per vinum elapsa. Nam bucculentus ille Bohemus, Capitoni nostro Silesio dixit: Audisse se ex Marco Barbarico, Male suam Rempubliam finitimos habere Austrios quietos, quã Gaborem, semper infidum, inquietum, Turcarum & Tartarorum commilitio minacem. Hæc Capito retulit Lazio, ille effuisti. Accesserint alia Venetorum acta, vix à senatu impetratum est, ut cum Chiausio noster & Hollandorum legatus conferre posset, cum tamen hoc à patribus, qui solâ plumbagine sapientes sunt, non pendeat. Permissè id quidem, sed pudendis conditionibus. Ut non nisi duabus horis post solis occasum, non nisi in singulos convētus datâ facultate, & quidem nūquam sine Venetis arbitris. Necessè est, ut qui ad eum modum tractâtur, vehementer exardescant; præsertim cum târæ diffidentia causam obtendant Veneti, ne Pontifex, ne Austriaci, ne Italici offendantur. Vide frontem: ipsi nos bellum ad cruentum accingi suâ causâ volunt, interim hostem communè, ne colloquio quidem alieno offendere sustinent. Tanti est illis eorum amicitia, quos contra nobis bella suadent, Haud stultè sapiēt, nostra volunt esse pericula, sua verò commoda. Atqui nostrorum hostiū, se hostes profiteantur, necesse est, si nobis sincero foedere coniungi desiderât. Quis porro stupor est, legatis conveniendi le-

ges dare? An Byzantij aut in Transylvaniâ convenire non possunt? Quis illos fecit, Gaboris, Hollandorû & Turcæ arbitros? cur aliorû sedent à se constituti iudices? Hæc nostri: Nimia ergo sapientia est diffidèria: nec cautione sua aliud efficiunt, quam ut de bello navali disceptetur, cui sumptus præbere, & portus aperire Veneti cogentur. Æquum est, ut defensoribus suis victum & hospitium præbeant. Tractari cum Polonis non potest, quod negent sibi posse esse fœdus cum illis, qui Tartarorum colluviem illiciunt, trahuntque. Cætera narrabit affinis tui filius juvenis Polypolicoratos. Vale Claudiopoli II. Nonas Julias.

A. Dor. Nans.

In alia chartula injecta ista legebantur. Commodum literas clauseram, quando legit mihi Gaboris fidus parastates agentis Q. R. H. literas, quibus recenset concionem Senatoris Veneti Antonij Navairi, si nomeritè recordor. In ea Gaboris varietatem, inconstantiamque accusat, negat tale monstrum vivere super Terram debere, agendum cum porta ut occidatur; Sebastianus quidem Venerius eum excusare conatur, quasi ad Cæsarem fallendum artibus illis utatur, sed Senatus videretur non credere sibi fidum fore. Puto Serenissimum Principem Gaborem magno animo istas contumelias laturum. Interim constat Hagæ Comitum de Venetis eum questum esse.

EPISTOLA VI.

Domino de Chastean Neuste, & Maranque.

Parisos.

Decimum jam diem avidè tuas exspecto; cupioque intelligere quid de bello sit decretum, quo loco res Mansfeldij, Centuriones cupidum belli genus, me attulisse aurum, & legionum designationes credunt. Helvetij habere bellum nolunt, sed ad bellum cõduci. Genuates animosi sunt, opibus, & amicorum auxilio validi. Hic omnia ad arma spectant, sed lenta cõ-

filia

Glia: nervus à Venetis, miles & decreta à vobis petuntur, apud vos ubi tuba insonuerit, mox Itala tremet horrida terra tumultu. Sabaudus à se removere sedem belli cupit, ex agro Veneto vallem illam oppugnari commodissime posse, ut veteranus dux judicat. Horrent hoc Veneti. Qui nec secretissima, horribiliq; denunciatione adduci potuerunt, ut crederent aut loculos effunderent. Tu vale, & quis exitus sit consultationum me doce. Taurini in Allobrogibus, 1624. 6. Junij.

Tuus notissimus Dionys. N.S.

E P I S T O L A VII.

Domino de Amblecourt, & d'Anserville.

Taurinum.

Quatriduo literas tuas nescio, quis Pegasus attulerit, tam immani spacio, nisi fortè dies à te non rectè notatus est. De consilio belli hinc optimè agitur, consultandum est diu, in quo semel duntaxat errari potest. Omnia indies magis impedita redduntur. Quid Francos excitet, quid terreat Antenor noster commèntario explicavit, quem in compendiolum meus secretarius redegit, Viginti rationes sunt, cur bello abstinere rex Christianissimus debeat, in quibus tamè non sunt positæ secretæ illæ, de alienatione Domini de la Ceur, de periculo Amphibiano, de ulcere Louriano: obscurè tamen innuuntur ista. Res gravis est: M29n. Q4610. Hk098. B17cz0. F63λ05q:π. GameL. Lostos. sed rationes audi si libet.

Ratio 1. Causa belli non est justa: idè nec finem prosperum sperare potest Rex noster. Quod si etiam iniquam causam ad tempus numen toleret gravi tamen exitio brevem felicitatem luemus, & nostro detrimento vicisse nos sentiemus. Quod si vi armisq; omnia subjiciamus, conscientia tamen juris divini, humanique violati, obligatio restituendi, damni farciendi necessitas inter lauros, plaususq; victorem obtundet, turbabit,

& simul triumphalem curram in fontium sanguis conscendet, vindictâque clamabit. Nam quo jure, Deû, hominesque testor, Imperatorem consanguineum, Hispanum affinẽ, & fœderatũ, Principes Catholicos in Germaniã, Episcoposq; ne verbo quidem læsi bello petemus? Cur sanguinem innoxium, nullã laceſſiti injuriã, ex mera protervia, & libidine fundemus? At restituendus est Palatinus. Imò non nisi jure restituendus est, & si jure pulsus est, non est per injuriam restituendus. Quæ major fingi in rege Christianissimo potest injuria, quã se Imperatoris, Pontificis, principum Germaniæ judicem constituere? Deinde auditis Palatini querelis, illis bellum indicere? Palatinus regnum alienum invasit, Turcã invocavit, Tartaros adduxit, Gaborem ad bella vocavit, Sabaudum imperium promisit, socios principes vexavit. Dani regis sententiã damnatus est, à sœcero sæpè reprehensus est, rogatusque, ut bello abſisteret, veniam à Cæsare peteret. Nemo Christianorũ causam probavit; illi ipsi qui auctores fuerunt tanti mali, facta sua damnãrũt. Noster rex si spectante Europã tam injustæ causæ se patronũ præbebit, suo petetur exemplo, excitabit illi Deus adversarium, qui faciat, quod fecit Palatinus Cæsari: Exibit ignis de Palatino, & exuret Frãciam, eamque ad omnem posteritatem infamabit. Multis hinc naratis actis Palatini, concludit bellum injustum fore, imò notorium latrocinium. nec posse Regem ac consiliarios ejus tanti mali participes communionem fidelium aut sacramentis frui. Adeo hoc ipso peccare dum se alieni regni judicem, & judicati facit executorem. Tu intelligis. P; 8233. gh4401. Lagira.

Ratio 2. Verum esto, sint homines arguti, qui summæ injuriæ speciem æquitatis appingere conentur, quod tamen hinc fieri non potest, cum rex noster causam Cæsaris & principum fidelium probaverit, quã de re omnibus in archiviis nostræ literæ cõtra nos testimonium dicent. Sed ut dixi: jus negligamus: vi, non æquitate litem secemus, ne religionis quidem rationem nullam ducet rex Christianissimus Ecclesiæ Romanæ filius dignitate

gnitate primus? Suo in regno fidem propagat, hæreseon audaciam proter vire non sinit, ipse religiosissimè Dei gloriam & vitæ & edictis illustrat: eâ causâ magno apud exteros etiâ Catholicos est in amore & existimatione: eritque, quando suam majestatem ministram volet esse majestati æternæ. Non igitur ejus est pietatis, alieno in regno veritatem religionis opprimere, aut hoc agere, ut alienâ manu opprimatur: opprimet autem si non suâ manu, attamen gladio Palatini, & Britanni, ut David Uriâ occidit gladio filiorum Ammon: nam Calvinianos seu Hugonotticos dominos miseris populis, quorum nunc tyrannide liberi sunt, imponet. Ludovicus rex sanctus in Syriam dilatandæ religionis causâ profectus est, noster Ludovicus cum suis Principibus, Catholicis Cardinalibus, Episcopis, Sacerdotibus exercitum ducet in Germaniam, ut hæreticos reducat, Hugonottorum fratres, in exitium opprobriumque Franciæ in Ecclesias reducat, Catholicos ejiciat? Sunt ista Iulianorum, Valentium, Theodoricorum, non Christianissimi. An in isto facto Pastor Ecclesiæ connivebit? an severitate coactus utetur? An in Regno Catholici æquis hæc oculis aspicient? An hoc Germaniæ principes * Catholici, qui ante paucos annos eum de imminente periculo monuerunt, an prævalebit Aman, ut occidatur Mardocheus? Latè deinde probat regem hoc facto ipsâ excommunicationem incursum: eiusque rei periculum denunciat.

Ratio 3. Cùm igitur nemo negare possit hoc bellum religioni adversum esse; nam etiam Palatinus, Anglus, Hugonottæ, Hollandi suæ religioni per regem nostrum consultum esse cupiunt. Imò plerique idcirco Christianissimum regem ad hoc bellum incendunt, ne hæreseos suæ Respublica detrimentum patiat: appello ad omnium sectariorum & Catholicorum voces, sequitur bellum impium fore. Nec bellum modò, sed etiam patrociniū, intercessionem, deprecationem, auctoritatis regiæ per legatos interpositionem: nisi Palatinus & ejus hære-

des

D; 6. 73.

14. e.

* Vide Mo-
gunt. 503.
p. 129m.Rg 71098.
(de.)

des hæresin Calvinianam abjurent: nam patrociniū omne sceleris, scelus est; hæresis autem Calviniana scelus est in Deum blasphemum, in rempublicam seditiosum, in privatos licentiosissimum. Ejus ergo restitutio, non potest non esse scelus, seu cū id quod agitur eō tendit, ut stabiliatur. Quod si patrociniū cum minis præstetur, multo gravius peccabitur. Non enim interest, armis, an metu armorum Calvinianum dominum Germanis imponat, & suis Hugonottis finitimū refugium asyllumque suo sumptu constituat. Quid igitur agitis o consultores inconsulti. Ecce numen æternum juro, illicita vos suadere, vos ipsos pessum datura. Vos si de crimine dubitatis. Ecce consulantur pii Theologi, nemo omnium causam probabit vestram. Non ignoro civiliter dictum esse: Regum est defendere reges. Scio miseram principum fortunam regi cordi esse debere. Verū laudanda est in principem humanitas, si non trahat exitia animarum, pericula seditionum, potentiam Hugonottarum: Humanitas in Calvinianos, crudelitas est in Orthodoxos: cur illos regnare, hos servire rex Orthodoxus jubeat? Perversa est misericordia, ubi sanguini, & civili amicitia tantum tribuitur, ut perniciosissima hæresis Ecclesiæ, & Reipublicæ ex æquo perniciosa in regni dedecus interitumque convalescat.

Ratio 4. Tanto autem injustior est hæresis illius solennis reductio, quanto fortius hætenus obstetit imperium illi, etiam cū res integræ forent. Calvinismus enim Cæsarum, & Comitiorum Calcūlo semper damnatus est, nec nisi obrerumurbationem toleratus. Hoc omnia simpliciter acta docent, nunquam enim ad pacem religionis sunt admissi. Absit hoc nefas à Gallorum pectoribus, ut suis armis eo adigere Germanos velint, ut suo corpori inserant Calvinistas: adeoque quod tot annos non impetrarunt, nunc Catholicis armis consequantur. Hoc si nulla lex permittit, nullus doctus, nullus indoctus probat, cur hoc suadetur, nisi ut & Hugonottis Galliam tradamus? A7093. 4cdzv9. om53t56.

Ratio

Dictum Ru-
pollense.
Lgomsf.
an20569.

Gallia vs.
Tazob.
ofmaizn.

Ratio 5. Conscientiam & religionem, quæ prima hominis bona sunt, omitto: ad externa, quæ minora sunt, pergo, majorem tamen apud plerisque auctoritatem habent, & pondus. Bellum non est necessarium, ideò nec suscipiendum, quin nec utile. Nō est regno Gallix ad incolumitatem suam necessarium, in Germania regnare socerum Britanni, tria Britannix regna cū Germania coalescere, dominari fratres, & auxiliares Hugonotarum Catholicos principes affligi, pelli: non ergo fas est, Gallix salutem in discrimen mittere, sanguinem & opes fidelium subditorum hæreticis Calvinianis impendere. Cur enim (appello prudentiam ipsam) tot millia Gallorum humum mordere jubentur, ne Palatino sit damno sua rebellio? cur rex toto corpore regni, vitæque suæ discrimine docebit Palatini rebellionem novo bello defendendam? Cur suis subditis suggeret, quid in alienis prober? Quomodo suis irascetur, qui favet alienis? Quid illi defensionem alienæ rebellionis à rege petunt, nōne regi libere dicunt, quid sibi datâ occasione licere velint? Certè non nemo nuper dicebat: Rebellionem non puniendam, ne principes desinant esse animosi. Sincerum judicium posteritas dabit. Regnum Gallix dicet, discrimini & incertæ alex commissum, ut subditi discant rebellionem concitare. Vno ex hoc bello non ambigo plures in Gallia rebellionem orituras. Dixit princeps QD: Orto bello, domini erimus.

Ratio 6. Non loquor de communib. belli incommodis, claudibusque. Calamitates semper certissimæ sunt, incertus eventus, rarò felix. nostra videamus. Primarium periculum est, quod ante tubam omnes sentient, rei nummarix angustia, ærarium exhaustū, inde exactiones, & tributa: nam inchoante bello subditi tondentur, durante deglubuntur, desinente exossantur. Constat (& ad quæstores appello) magno & diuturno bello ærarium nostrum par nō esse. Quisquis a. bellum suscipit, ad magnum. & diuturnum paratus esse debet. Initium est potestatis nostræ, finis in manu hostis, iam annos 30. varia bella reges no-

*Iam flores
rebellio.
Vxstmos.*

frigerent, regnum tamen non dilatârunt, quod præclara conatos in medio rerum cursu nervus defecit. Quocirca Henricus magnus ingentem quidem expeditionem meditatus est, sed multos annos summâ curâ stipendia paravit ante, quàm delectus ullos haberet. Magno nobis in Germaniam duce, magno exercitu opus est: nam provincia magna, veterano milite, & victore, firmis urbibus munita, parvas copias facile proteret. Alius tamen aut ducendus est in Belgium, aut in finibus habendus, ne aliena sectati, nostra perdamus, ut Palatino evenit, cui in Bohemiâ laboranti Spinola pene sine sanguine Palatinatum extorsit. Timendum igitur ne & inde auxilium sentiat Imperator. Quin & Burgundiæ asperæ & Bellaci miles apponendus est, classis paranda, fauces Pyreneorum montium custodiendæ, timendæ Triremes Italicæ. Denique in medio regni corpore ad subitos motus habenda præsidia; Belli tempore regna cætera rarò, Gallia nunquam est sine domestico tumultu, qui sæpè reges nostros domum revocârunt. Henricus magnus gloria belli maximus, castris tanquam Palatio affluetis, bellum jam senior oderat, propter tumultus & seditiones, ex eo oriri solitas. Tot copiis non sufficienti sumptus, nec ulla tamen ex parte nudum latus relinquendum est, ne vulnere sit locus.

Verba Henrici: & in media 9xeti. p23gd. 9hlsia. 8756r.

Ratio 7. Augmentum inopiæ adferet negotiationum intermissio, portorum imminutio, quæ ad metum belli intus itineribus consequuntur, inde urbium & mechanicorum egestas, quærelæ, tumultus. Imminutis censibus, auctis sumptibus, timendum nobis est quod Hollandis, qui omnium pecuniis adjuti animam debet. Hic varias rationes pecuniarias attulit, & ostendit non posse nunc tantam belli molem sustineri.

Ratio 8. Non exiguum etiam regno malum creabitur ex summo illius ornamento, principibus, comitibus, nobilibus. Plurimi sunt in regno magnates laudatissimi, neminem suspectum facio, neminem enim suspectum habeo: Experti tamen sumus frequentibus secessionibus regnum concussum vel procerum simul.

simultate, vel quibusdam ex diverso pramia petentibus. Hoc si
 flagrante bello fortuna fatum induceret, vix Galliam salus ipsa
 servare posset. Scimus olim tempore atrox bellum fuisse inter
 nos, & Carolum Audacem verum principum is lusus erat, Rex
 & Dux cur pugnarent, nesciebant, nostri Regis stipendiarij fu-
 ère olim consiliarij regis Angliæ. Hispanus in consilio Statuum
 suos habuit monitores, nobis omnia illa timenda sunt: nam e-
 gestas, cupiditas, spes lucri ostentata fidem si quam invenit ve-
 nalem facit. Regi periclitanti, nemo nisi suo commodo pareat.
 Quis verò dubitet multos tanto nunc studio bellum urgere, ut
 occasionem rerum novandarum nanciscantur? Qui primi sunt
 in tumultu, nunquam ultimi sunt in transfugio.

Ratio 9. Veruntamen illa tristitia omitto; sit sanè bellum. Pro-
 cedat in Germaniam agmen quadratum, sonet procella eque-
 stris, ferrum ignemq; feriēs, & ferro, igneque Calvinismum no-
 centiorē. Quis tandem ductor erit tanti agminis? qui Tribuni?
 Dubio procul principū lectissimi: neq; enim regem exire regno
 fas erit, & generosa Francorū in doles de generi ductori parere
 nō didicit, non parebit. Nō loquor suspiciosē: prudēter rem cō-
 sidero. Tot principū cū robore exercitus in castris coetus, quā-
 vis sit si diffimus, rege tamen suo, cujus auspiciis rem gerit, po-
 tentior est. Vnius aut alterius fraus multum potest. Calumnia
 verò plurimū. Præsides armati regū Domini ferè sunt, certè ni-
 hil illis tuto negari potest. Norunt quid possit armatis. Locus
 periculosus est; nec in contumeliā tamen suam dictum princi-
 pes accipient, si recordari velint, plures reges Gallia à suis re-
 gno pulsos, quā ab hostibus: si igitur hostē armatum metuo, cur
 non & principem armatum? præsertim si non desint, qui armis
 contra regem steterunt. Non refrico patriæ vulnera, amnistiā
 colo. Non tamen viri prudentis judico, regi adolescenti suade-
 re, ut principem aliquem iis viribus instruat, quibus ipse sit im-
 par. Repetantur exempla Gallia à Pipino usque ad Bironium.
 Hoc fatum nostrorum regum est, à suis non esse securos,

*Timendi
sunt.*

V98 seg.

107.

Bf81x73.

5874b43.

Ω

91266m.

Φ

et alii.

M7 deo ap.

Oraculum

est: La.

17eg19.

In bello autem iniquo præsentius est periculum, qui namque semel æquitatis normam transfiliit, ab eo fides in regem prudenter postulari non potest.

Sped. 2. 6.

Ratio 10. Iacta est alea. Vogesum, Mosam, Renum transivimus: campos Germaniæ tenemus, domi intereâ quid facient Hugonottæ, nondum domiti, semper ad arma parati, sociorum successu excitati? Vnum belli ducem, si in suas partes traxerint tumultu totum regnū ciebunt. Certatim autē militiæ, quæ pro Calvinistis instituetur, nomina dabunt: Dux eorum non invitus in Galliâ ager, cum suis Hugonottis, quod iustus est agere in Germaniâ. In Germaniâ feroces, Ecclesiarum spoliis dites, nostris legibus nō vivēt. Si quidē exercitui nostro aliquid contigerit, vexillū mox erigēt: nullo enim hætenus die, nisi timore cōpulsī, malis abstinuerūt. Qui de his dubitat, in Gallia hospes est.

Ratio 11. Domestico milite compescuntur, & illi & alij. At quanto opus erit milite, quo damno agricolarum aletur, in Picardiâ, Burgūdia, ad Pyrenæos? Nec nostræ modo nationis hominibus, sed Helvetiis, Pedemōtanis, Germanis, Scotis, Hybernis, Anglis utendum erit. Reges enim his nationibus uti solent, quanquā nihil opus est peregrinis, in nostra viscera jam annos sexaginta sævire didicimus. Vidimus tamen exercitus Saxonicos, Anhaltinos, Casimirianos, Gētianos, & ne quid mali deesset, Turcas. Hic à primis bellis Hugonotticis historias addūcit.

Ratio 12. Atque hæc à nostris, à nobis inquam pericula, formido, nondum de hoste agere cæpi. Regionem defensores devorabunt, hostes reliquias tollent. Gallia, si bellum aggrediamur, tota hostilibus provinciis objacet, tota incurfibus patet, nisi fortè Sabaudiam excipere placet, si tamen à nobis ille stare volet, nostris auxiliis juvandus est: Cultior est finitimis provinciis & planior, quanto vis igitur præsidio muniatur, fieri tamen non poterit, quin à montanis & bellicosus populis diripiatur, utatur; nec enim ubique potest esse defensor. Facilis aditu provincia, hostis ingressum arcere numquam potest.

A tem-

A temporibus Hannibalicis ista perpessa est. Hoc ex historiâ deducit, usque ad Parmensem principem, & Ernestum. Pervia igitur erit hostibus aut ut mite sit bellum, extremi limites in solitudinem redigentur.

Ratio 13. Huc usque ita ago quasi bellum dissuadeã, at multos video ideo bellum suadere, quod bellum futurum non sperent. Boni illi viri non nullis videntur, sed simplices, & rerum sunt ignari: & quod caput est incogitantia periculorũ nimium præfidentes magnum ajunt esse Francici nominis terrorẽ, ubi sonuerit tuba, fulserint signa, urbes, principesque venerabundos in ditionem venturos. Hæc dum magno ore tonant vera dicturis obstruere ora cenantur, ne patriæ laudibus invidere, regias victorias minuere videantur. Equidẽ laudo patriæ laudatorem, fero etiam patriæ adulatorem, quæro fidelem senatorem. Ad milites, ad populũ phaleras: Si bellum periculosum, cruentum, diuturnum, patriæ grave & molestum futurum putarent, non minũs quã ego dissuaderent, at tale futurum esse, nisi miraculo Deus finiat, omnia suadent. Palatinus & socij nunquã bellum decrevissent, si bellũ fore putassent, certẽ civitates unitæ, jam ante bellum exire è foedere noluerunt, ut docent acta Noribergica. Confidentia miseros decepit, omnia parata sibi dixerunt, solo terrore omnia confecturos, si quis de periculis tum concionaretur, insanire dicebant: non absimili nunc vecordia tenentur, qui in spoliis & triumphis occupati, puerili levitate pericula transiliunt. Non debet se Gallo armipotens Germania, non sinet jus suũ Cæsar infringi. Exercitum habent veteranum, quo resistent; mox habebunt, quo Franciã invadãt. Nõne nostris legatis cum Germanis negocia tractaturis, unicẽ mandatur, ne quicquã loquantur, quo in suspitionem illi veniant, nos id agere, ut præsidio Renum teneamus, cum tamen id necessarium sit. Itaque Argentoratus, quæ urbs regno nostro est amicissima, ad mentionem accipiendi præsidij planẽ refugiet, & summã ope bellum parabit. Eadem ratio est

*Quis Auda-
cem in regno
vocavit.*

Noriberge
— 572247.
85fluk.

XVint M
799d810.

Et majora
solito.
61mgzd-
7140.

Sunt vero:
Am74b9-
7k21-
P39lr4-
263801-
27bn4v15.

Exlav5-
3701.
m064v.

5939.

Basileæ, Colmaræ, Spiræ, WORMATIÆ, FRACOFURTI, cæterarum, quas nisi nostro præsidio tenemus nec nobis imperium, nec patriam Palatino acquiramus, Memini cum diceret notus urbium curator. Beneficio se regis non freno egerit. Et horrent eadem principes. Nam cum imprudenter quidam in eum sermone venisset, respondit Secretarius. Non permissurum suum principem, ut præsidii urbes gravarentur. urbium frenos esse principum compedes. An nobis sponte servient, qui pro libertate, imperio, & ut vocant ipsi autonomia hæcenus omnia sustinere: pugnabunt igitur, exceptis exulibus, omnes: certum nobis non tam Palatini reductionem, quam regni incrementa cordi esse.

Ratio 14. At Cæsar exhaustus est, Germania afflicta, animo dejecto. Erras, & vehementer erras. Prima calamitas belli est, hostium contemptus, sæpè eadem prima, & ultima. Cæsaris vires attritæ sunt, non consumptæ, Germaniæ vires adhuc magnæ sunt. Cæsari consueta vectigalia non desinunt pendere: urbes copiosæ, negociatio magna, opes extra patriam non aveat, juvenus ad militiam jam assueta: & si in Franciam ducas, prompta. Dicam quod partim ex fide dignis, partim experientia didici. Cæsar ad vexandas hostiles provincias magnam potentiam instructus est. Habet ille ad manum, & ad nutum Ungarorum & Cosaccorum myriadas. Proceres quosdam Ungariæ ad quina & sena, imò quindena millia suo ære alenda obtulisse scio: nec defuerunt viri principes, qui quinquaginta millia Cosaccorum adducturos spondebant exiguo stipendio, si modo in hosticum mitterentur, ut prædæ facultas esset. Si igitur meritam. Cæsarem indignatione commoverimus, acerrimos & velocissimos barbarorum florentissimo regno immittet. Habet & alij Principes Germaniæ Cæsaris amici cum gentibus illis necessitudines, & ab illis obsequia, nam nullo facilius negotio hostem perdere se posse norunt. Hinc magnopere omnes Germani timent, nam Cæsarem exulem se posse reducere profitentur, si adversi aliquid contingeret. Atque hæc una est in cau-

sa, cur Veneti, qui ferventissimè hoc bellū urgent, occultissimè agant, ne Ferdinandum offendant: Timent enim Cosaccorum Haidonum, Vngarorum, Croatarum, Vscochorum, Segnientium, Rhætorum, Italorum examina, à quo nos periculo non longè absumus, cum nuper Renum, Mænumque biberint illi milites, & jam ratio inventa sit eos per amicū agrum sine noxa ducendi ut totas vires, irasque in hosticum effundant. Eorum φ 3; 4 om. igitur consilio utamur & Galli, nec tanta conciamus pericula: quæ ego certissima denuntio, & si tanta Barbarorum multitudine in Gallia confederit, æternum malum timeo, quod si illis advenientibus pacem facere libeat, id non nisi solutis stipendiis, quanta exegerint, licebit.

Ratio 15. De Hispani potentiâ dicere superfedeo, quâ Cæsar adjutus est, ille Palatinum, sed Europâ plaudente, affixit: agnato pro patriâ pugnantī adfuit. Potentiorē illum fecit hostium injuria, eum cum pacatum vicinū, bonum affinem, & cognatum habere liceat, non est causa, cur eum propter exulem faciamus hostē. Non faveo Hispanis, hoc moneo nobis cum Cæsare diu & periculose bellantibus, illum fore formidolosū.

Ratio 16. De Venetis ante dixi, ferventissimè, secretissimèque bellum eos urgere, atque hoc agere, ut coronam implicēt, quo ipsi in tuto res suas collocent. Nunc addo. Eos nobis non fidere. dein facere exosissimos Germanis. Senatui Veneto nos suspectos esse, multa docent: ego duo certa noto. Nuper pro sententia in consilio dixit Senator magni nominis: Rempubli- cam à Gallis semper esse deceptam: nunc nos habere majore fallendi ipsos causā, quā aliàs unquam. Ideo nobis non fidentium, nostram nos rem agere. Ea de causā secretissimæ Sabaudi legationi periculum denunciānti nō crediderunt, sed ad pecuniam exigendam fietam esse crediderunt. Deinde, cum nuper Romanus Pontifex eorum legatum monuisset, ne Principes & Reges Christianos ad discordias armaque suis machinis sollicitarent. Senatus ille decrevit. Pontifici danda verba.

Legato

Legato verò suo hîc residenti mādârunt, ut de pontificia reprehensione ad regem referret, non eo fine ut consilium à rege acciperet: sed ut animum ejus sententiamque asturè scrutaretur. Memini sanè cùm submissimè, & quasi regis nostri devotissimus cliens accederet, sed animo versabat dolos, ut regis mentem exploraret, ut deinde suis rescriberet, Hollandisq; & Gabori, per quem Cæsar omnia cognosceret. En sagacitatem Italicam, en exploratorem nomine legati regis Majestatis tentatorem. Hæc non amicorum, sed diffidentium sunt.

Porro eorum societate nos odiosos fieri Germanis & Italis in confesso est. Venetorum enim machinæ; Constantinopolitanæ delationes, munera, jam dudum innotuerunt, ipsi Bassæ eos detestantur, ex aula Gaboriana & Batavia per confidentes, & convivantes omnia produntur: super est ergo, ut ex mutua familiaritate nos omnium istorum conscios arbitrentur, & adjutores. Tantum autem de decus etiam apertâ amicitia renunciatione à Christianissimo rege amoliendum est. Novum autè, quod inter Italicos cuditur fœdus, eò tendit, ut Venetorum proditionibus obsistatur: nec sine causa gravi seditionem populus coquit, tam exactionibus, quàm Turcicâ communionem vexatus. Quæ res ad eò jam increbrescit, ut nuper Senatum publicè monuerit cùm sententiam diceret magni nominis Senator, cujus nomen mihi excidit, ita tamen, & legatus, & excellentissimum collegium testabitur.

Denique Veneti bellum meditantur Metaphysicum. Non modo Veronam, alienamve urbem negant, in quam sit nostro exercitui receptus, sed ne quidem munitiones temporarias ad flumina sua, urbesq; extrui patiuntur. Per alpes volare, aut in Sabaudiâ figi belli sedem è re suâ censent.

Ratio 17. Nec Anglicanum matrimonium, nec auctoritas nos ad bellum grave, & calamitosum impellere debet. Timenda potiùs illius perpetua contra regnum nostrum emulatio; occasionibus insidiata semper cupido, vetera bella, usurpatas ad oppor-

Ci 831.
46219.
Hop r 57-
vx 19.
Paschalis
Cigonia est,
Vide literas
confidentis
Sabaudici.

Iustinianus.
783859.

opportunitatem acquirendi titulus, quem nō frustra insignibus adscribit, sed tanquam publico elogio profiterur, sed jus suum, nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires, vendicaturum. Premi ille & laborare regnum nostrum, non additamento Germaniæ crescere desiderat. Rege nostro Germanicis, Italicis, Hispanicis bellis debilitato, arctissimi fœderis cū Rapellenibus & Hugonottis initi, fructū ex regis incommodis expectat. Prætextu religionis aut ille, aut gener, aut uterq; semisaucios invadet: nec Metis, Virduo, Tuslo & portione pecuniæ ad securitatem Hugonottarum, ut olim Casimirus, & ejus frater, hujus Palatini progenitor, contentus erit. Parisios caput gentis, & portus sibi deposcet: artes patrū pronepos dicit. Nuper in discordia procerū adornato Gento probavit. Cū igitur illi belli sint auctores, qui illud quā funestissimū nobis esse vehementer exoptant, nos nō ex alienā voluntate, sed nostro commodo de patriā consulere debemus.

Ratio 18. Ne ab Hollandorum quidem periculosis artibus, & populari amicitia tuti sumus, in quas tamen fovendas plus auri, virorumque impendemus, quā ad regnum nostrum tutandum necessarium sit. Quid ex illorum potentia periculi sit regno formidandum, teste sapientissimo Henrico magno constat. Victores vicina ducent, aut trahent; juncti deinde Hugonottis Franciæ regnum in Democratiam & consistorium Calvinianum convertent. Democratiam domi somniant, in publico clamant Calvinistæ. inspiciantur judicia, & acta Henrici magni eorum potentia occurrendum censentis. Nihil regi nocentius illo regimine. Quo erga coronam & regem animo sint in exordio regni. puero adhuc rege, accendendis, & misso Gento alijsque, juvandis seditionibus declararunt; cum identidem clamarent catulum cædendum, ne molossus effici posset, fratres in perpetuum Papistico jugo liberandos. Atque hæc fecerunt hominum omnium ingratißimi, ut beneficia parentis exde filij compensarent. Nec leniore

*Fortuna in
singulo.
C. 2. m. 1. 1.
48360.*

P. 96372 op.

*Coegit ad
inducias.
Rm 96m
1440.*

*Periculum
regis ex
Frau. 09.
p. 825.
602837.
70p.*

*Hollandi
Francis Ca-
tholicis sibi
militanti-
bus negant
sacerdotes &
sacramenta
Cath. l. ca.*

conditione militem nostrū, quem in annos mittimus tractare nōrunt. Præterquam enim quod ita hyberna eorum, & æstiva disponunt, ut magna pars vivendi commoditate sublata emoriatur, etiam ægris & morituris Catholicis morientū solatia, sacerdotes, & sacramenta denegant, imō & eos, & subditos Catholicos persequuntur: non mea verba sunt, publica regni querela est, quorundam regis seu consiliariorum, seu deceptorum tam noxiam esse potentiam, ut Francicum sanguinem, animasque Calvinianis ad Catholicorum vexationem largiantur, & prodigant, ut non vitæ modo præsentis jactura, sed æternæ etiam salutis exitio sectariis gratificentur. Quâ conscientia militem Catholicum, sine ullo subsidio religionis Calvinistis in manum datis? Hinc magnificè contra regem gloriari Hollandi solent: Franco & Papistico sanguine se Papistas ulcisci, à rege autem Christianissimo suam religionem probari, qui tot lectos milites Papistas, sine ullo Papismi doctore Calvinianis doctoribus & mortibus ultrò, non sine magno sumptu, offerat. Si omnia alia defendere nos posse fingimus, quid ad ista dicemus? Utinam tantorum malorum pœnæ in solos consiliarios & administratos, salvo rege & regno expetantur. Hoc tandem protestor: Ab hac me sententia sponte discessurum, si vel unus toto regno Theologus, cui cordi sit religio aliud senserit. Sed esse nemo potest, nisi Hugonottizans.

*V. 30 m. 7.
702.*

Ratio 19. Quod verò his artibus Hispani potentiâ nos morari, frangere, & in nihilum redigere existimamus, ad excusationē non sufficit, nec verum est. Non excusantur, qui faciunt mala, ut eveniant bona. Si belli justæ causam contra Hispanum habemus, cur illud illi non indicimus? cur amicitiam sinceram simulamus. Cur nullo regni commodo aurum, & viros per manus Calvinianorum orco immolamus? Pecunia subditis extorquetur Catholicis, ut stipendia ne desint hæreticis, imō subditi in bellum crudele, sine spe sacramentorum unquam in militia percipiendorum mittuntur, ne non dominantur Ca-
tholicis

tholicis hæretici. Alienis rebellibus auxilia jungimus, ne nobis unquam desint perduelles. Vnde enim est, quod Rupella, quod ignobilia oppida, tanto regi conditiones ponunt, nisi quia merito patimur, quod facimus alteri? Non est illa ratio æmulum regem deprimendi, sed numinis offendendi, hostis extollendi. Regno incolumitas peccatis non quæritur. Non vinci pravis illis artibus Hispanum satis experientia docet. Nam & Hollandi indies decrefcunt, & immenso alieni æris pondere merguntur, qui solvendo ne Francia quidem sufficiat, & undique Hispano suggeritur, ut vincendi, ita crescendi occasio. Floreat opibus virilque Francia, floreat pietate & justitiâ, floreat etiam Catholicorum principum amicitriâ, Calvinianorum odio, non timebit Hispanum disiectis regionibus, & malè domitis majore sumptu, quàm emolumento imperantem.

A Deo regnum est, malis non conservatur. Tot Catholici principes sunt, qui nobis adhærebunt, ne jugo Hispanico graventur, quot nunc sunt, qui timent, ne Calviniano illos scepro subjiciamus, & conteramus.

Ratio 20. Omnibus veræ prudentiæ argumentis, & consultationibus tanquam murū opponunt Veneti, Hollandi, amici Mansfeldici, & Martij nostri pulli Regni nostri incrementa, rediturum ad Gallos imperium, diadema augustum, dominatum Germaniæ. Hoc exulum legati inculcant. Hac una cupiditate omnes vinci difficultates, huic omnem timorem periculorum cedere æquum censent. Sed fucus est, esca est, non dicam rerum difficultate, justitia, alijsque. Hoc affirmo: neminem eorū, qui hæc quasi secretissimè nostris suggerunt, id cupere, nemo qui tam grandia pollicetur, fieri posse putat, nisi talis exercitus in campo sit, qualem habuit Henricus magnus, tanta pecunia, quanta tum in ærario fuit, quanta decem proximis annis colligere non potest, etiam si aërem censeremus.

Suadent ista, & in spem extollunt ingentem, Exules, Nonnulli exulum ministri, sed occulti, Veneti, Batavi. Nemo tamē

horum non abſiſtet, Exules imperare Francum Germanis nolunt. Nam imperium ambiunt ipſi, immodicam libertatem amant, principes Gallia ſuorum regum mancipia putant, ſua recipere ſine jugo Francico, libera tenere laborant, ne Britanus quidem generum ita reſtitui expetit, ut Franco ſubjectus ſit: quocirca Cati homines monent, reſtitationem melius futuram non ducto in Palatinatum exercitu, ſed alias in provinciis. Præſidia, ſcilicet Francica nolunt. Cæteri uno animo tantam publicam ſervitutem depulſuri concurrent: Norunt Francum Germanis non precario regnaturum. Arx Metenſis, Virduni & Tulli præſidia, adeoquæ ſtratagema Alençonianum ſollicitos habet. Opinio illa ſi vulgetur Palatino vel maximè oberit; Quis enim feret exulem ſecum peregrinos, exercitumque cū imperio trahentem? nunc ſuſpicari, imò clamare non deſinunt. Qui enim rebus integris Sabaudam remotum loco ætate debilem, auro non abundantem in ſtutus ſpecioſo promiſſo illicere non dubitavit, etiam ne regi Franciæ pollicitationibus illis illudat, meritò ſuſpectus eſt.

Cur idem nolint Veneti ex antediſtis patet: eadem eſt cauſa Batavorum. Tantæ enim Monarchiæ, quæ ex duobus contiguis potentiſſimis regnis coaleſceret, ſpem magnitudinis & incrementi intercedere planum eſt. Verè dixit Barnefeltius, ita omnia agenda, ut Hiſpanus decreſcat, Francus non creſcat.

Cum ergò bellum hoc ſit juſtitia, religionique contrarium, patriæ calamitoſum, omnibus modis fugiendum cenſeo. Eoque magis, quòd ſuaſores illius ſunt, externi, qui vel ſunt heretici, ut Batavi, vel Chriſtiani mali, ut Veneti, vel qui ſine armis ſalvi eſſe non poſſunt, ut exules, qui ea omnia urgent, non quòd regno utilia, ſed quòd ſuis reb. & proſiſtis neceſſaria judicent. Domestici qui illud ſuadent, ſunt vel Hugonottæ aperti, qui ex finitimorum hæreticorum potentiâ vires ſuas contra Regem ſtabilire conantur; vel Hugonottarum occulti

coltri actores, quorum idem scopus est, ars efficacior, quia latentior. Sunt etiam illi, quos exteri donis, promissisq̄ue ementur, ut periculosa patriæ consilia concinnent. Nō sine causa legato suo Senatus Venetus scripsit, ne ullo labore, sumptuq̄; parceret, ut captivum nobilem liberaret. Pecunia datur Bassis, ut suadeant Turcæ Magno bellum contra Cæsarem; eisdem machæris in Gallia pugnatur. His se jungunt illi, suis res arcta sua est, æs alienum magnum, bellum illi spirant, ut ditentur. Accedunt & illi, qui magnos honores ambiunt, & turbatâ republicâ principatum. Nam ponite ob oculos per DEVM immortalem, diurnos, nocturnosq̄; discursus, convivias, consultationes Britannorum; Hollandorum, Exulum, Venetorum, Hugonottarum, & hoc certissimè constituite omnes belli suafores, quasunque violandæ pacis causas proferât, Regno nostro illudere. Nemo ex omnibus, eam quam animo concipit, causam adfert. Non vivitur hîc aperto voto. Nobis se consulere simulant, sed rem suam agunt. Causa belli sua est cuique libido, non salus Franciæ; nos ergo de Republica nostra viris patriæ amantibus, & quibus bellum non lucrosum futurum est, credamus. Sit alta mente repositum,

Exteriorum consilia Francia probrum.

Exteriorum prasidia Francia interitus.

Atque hoc compêdium est libri sat magni, & ut mihi videretur perutilis, ne nos externi, & homines parum fani ad bellum temerariè suscipiendum impellant. Vale. Parisiis Anno 1624. 8. Septemb.

Tuus vetus amicus Remig. C.P.

D 3.

EPI-

E P I S T O L A V I I I .

Admodum Reverendo, Eximio, Clarissimoque viro
Iacobo Melandro.

Hagam Comitum.

Nimium tu quidem importunus es, qui non es contentus, rerum
que fiunt, enarratione, sed futura etiam scire flagitas. Accede
cedo cerussatum vestrum Biberium, de calendario tibi prophetabit:
ego cum omnia mutari videam, & inopinã consecraria conjectare non
possum. Meus archiepiscopus aut somniat, aut hariolatur; mihi verò
communicat secretas cogitationes, nescius me puram sequi, sine eorum
superstitionibus fidem: sape in Puritanos declamat, & declamanti as-
sentor, non assentior. Quia ergo jubes, audi Vatem. 1. Senis potestas &
auctoritas sensim deficit, solem orientem plures adorant. 2. Eo mortuo
motus timetur in Hybernia. 3. Certum autem periculum & defectio
in Scotiã: nam filio regis non aliã, quam ipsi volent lege sacramentum
dicent. 4. Angli itarem dirigent, ut regi nihil nisi nomen relinquat,
rem proceres teneant. 5. Nisi filius regis omnia postulata concedat, re-
linquent illum, ut Israelitæ Roboamum, & dicent: Nunc vide domum
tuam Iacob, vocabuntque exulem de Haga comitum; & dicent: Imperet
uxor tua nobis secundum cornostrom. 6. Et tunc erit regnum Purita-
num & purum in terrã. Si queris, quis mihi ista revelarit: ordine re-
spondeo.

Primum revelat experientia mea, & Archiepiscopi, que meã ma-
jor est, clara visio, & ut lego apud barbaros, intuitiva. Nam Buckinga-
nus, & pallidus ille parasitus male de illo loquuntur, proceres oderunt,
& quia non timent, contemnunt. Mala administrationis sine reve-
rentiã accusant: tot nuper querela oblate sunt, ut totã eas vitã legere
non possit: cum bellum non habuerit, tamen regium patrimonium con-
sumpsit: nunc eget, & animam debet, cum tamen plura regna habeat,
quã

quam ullus regum Britannorum, & plus pecunia, quam ullus predeces-
sorum extorserit.

Alterum revelant calamitates Hybernorum: nam præterquam
quod exercitus petulantiam sustinere, præsidium avaritiam debeat ex-
plere etiam eos rex passim ut barbaros, qui mancipiorum ritu sunt tra-
ctandi infamat. Quia verò Papista pressi & exhausti sunt, jam eodem
loco habentur reformati.

Tertium revelant Scotorum clamores. Regem abesse, regnum à
paucis diripi, justitiam vendi, aditus ad regem fastidiosos esse: nō posse
regnum diutius consistere. Sunt plerique pura reformatæ religionis,
cum verò rex nuperis comitiis dixerit, Puritanis se non credere, om-
nes in sui contumeliam dictum arbitrantur. Bellum tamen oderunt,
idcirco regem facient, cui dona titulumq; ferant, ipsi regnabunt.

Quartum revelat Archiepiscopus, & ego indies audio. Suadent:
Belgæ, & Venetorum practici. Regem sibi negant ad aliud præfuisse,
quam ut discerent, quid vitia in potestate possent, populos exacto ne-
gravatos, ac alienum contractum, indignos largitione dotatos. Haben-
dum regem cui non nisi justa liceant. Immensum imperium lege cir-
cumscribendum.

Quintum idem, res ipsa, rex ipse revelant. Plerique qui rerum po-
tuntur, sunt purè reformati, oderunt Episcoporum larvas, amant Pa-
latinum, & uxorem filiosque illius, utpote ejusdem secum fidei: in re-
gnum venire cupiverunt: Filios saltem in Britannicis Academiis ope-
ram dare: timidus hoc senex negat, quod dolent Episcopi, nam si à
tuis, inquiunt, ò rex, instruantur, non fient Puritani, nunc autem præ
dolor ad exitia cleri tui & religionis tuæ educantur. Videt hoc pericu-
lum rex, sed majus esse judicat, si præsentis sint. Res docet. Nam con-
tentione magnâ, & pene convitiis ad bellum impellere regem sunt co-
nati, & ingentem pecuniam decreverunt, pro restituendo Palatino:
cum tamen hætenus regi semper gravatè, cum excusationibus, quere-
llis, imprecationibus dederint in viti, nunc etiam regi, pauperi & oba-
rato, quasi oblivione obliti, nihil assignarunt; Principis Valliæ nulla
mentio. De Palatino solliciti sunt, suorum regum immemores:

Rex:

Rex etiam hoc in Parlamento revelavit, idè non opus esse dixit gratias agere: Videt suam senectam molestant suis, Generi sui gratiosam factis celebrem juventutem. Vbi igitur Palatinus in regnum venerit, omnes pura reformationis illi adharebimus.

Hæc omnia
dicunt Regi
(sifentit:)
morere,
Palatino:
vive.

Sextum revelavit mihi bona consequentia. Nam cùm fortiores erimus, ad nostram pietatem cuncta trahemus. Habes prophetias, quas legendis actis facile deprehendes esse verissimas. Vale carissime frater Londini. Amicus tuus usque ad

Aras, P. G. O.

F I N I S.



